HERCULES TOGATUS SIVE DE ILLUSTRISSIMO CELSISSIMOQUE HEROE DOMINO...

Johann Balthasar Schupp, Valenti Gonzaga

ILLUSTRISSIMO CELSISSIMOQUE PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO GEORGIO HASSIÆ LANDGRAVIO, COMITI IN CATTIMELEBOCO, DECIA, ZIEGENhaina & Nidda, &c. Principi ac Domino meo clementissimo.

CElsißime HEROS. *Adhuc Consiliarii tui Marpurgi diligētiam suam fatigabant in conjungendis animis utriusq; Haßiæ, cum subito ingenii calore orationem hanc effunderem, in natali renascentis felicitatis nostræ recitandam. Ast dum dies illa vota nostra multiplici spe & terrore confundit, variis studiosorum precibus exoratus, jußi oratiunculam illam, ut sub primo calamo nata est, in publicum ire & Celsitudinis Tuæ pedibus se submittere.*

Videat orbis Christianus etiam ex tenui hoc monumento, manus tuas innocentes & im-

pollutas esse à tanto sanguine, qui inter Christianos prodigitur. Eas profectò pacis leges præscribis, propter quas alii vincere optarent. Sed fata sunt, quæ nos urgent.

Stemus interim cincti armis Ecclesiæ. Si cœlum expugnaverimus, id est, si pacem è paterna Dei manu precibus nostris extorserimus, omnem virium mearum benignitatem excutiã, ut aliâ & veluti maturâ meditatione adumbrare poßim gaudium Academiæ tuæ. Quanquam non opus est ambitiosâ verborum supellectile, ut res à Deo, à ratione, à natura nobis commendata in pretio sit. Pacem dum dicimus, uno verbo complectimur, quicquid ad promovendã Academiæ famam etiam avara vota concipere possunt. Pace restituta, non ignorabit quicquid vasto amplexu circumglobat orbis, quantum in Haßia tua Musis regnũ sit. Vale Heros, *& feliciter vince eos, qui crudelißima mora sua se non indignos reddunt, ut vincantur.*

Illustrissimæ Celsitudinis
Tuæ
subditus humilimus

Johan. Balthasar Schupplus.

CUM DEO.

NULLA sors longa est. Res Deus nostras celeri mutatas turbine versat. Nil est sub cœlesti hoc tegmine, quod se perpetuò possit intueri. Fuit aliquando Tyrus superba ostro atq; purpura. Non amplius sunt Athenæ omnium bonarum artium inventrices. Non Babylon mœnibus, horto pensili & arce mirabilis. Non Corinthus ære nobilis. Non Creta centum celeberrima urbibus. Non Carthago Imperii Romani æmula. Dissita & prostrata jacent omnia.

Quorsum ego antiqua hæc repeto? Intuemini Germaniam, quæ quondam tot populos terruit, nunc theatrum est omnis miseriæ, pila lascivientis fortunæ. Si flere quædam esset voluptas, si lacrymis dolor egereretur minueretúrq;, circumspicere posses ò Germania, & larga tibi atq; assidua esset flendi materia. Quæ turpia sunt, visu, dictu, auditu; quæ in te non spectata sunt cum gemitu? Christianus sanguis inter Christianos sparsus est, sine ulla parsimonia. O quàm viles fuerunt animæ pro quibus Christus est mortuus? Refugit animus meus & referre reformidat, quæ fera & immania facinora, quibus nulla barbaries ignoscere posset, Christianus miles effecerit. Sub hoc non tantum adulta virginitas nefanda est passa, sed & immatura

flagitioso scelere expiravit. Hi, si quo venêre, quis ibi conjugem? quis liberos aspicere potuit sine fletu? Quis domum? Quis tecta? Quis templa? Gravidæ trucidatæ sunt, ut ante generationem interficerent, Herodis crudelitatem superantes. Sic qui uterus fuit, simul factus est carnifex, mors & sepulchrum. Qui pusillanimes fuere inter viros, ad laqueum properârunt calamitatum suarum finem quærentes, quarum gravius initium invenerunt.

Quorsum ego communia hæc deplero, cum domestica mala & vicina nos tangant? Inspicite Wedderaviam & universum circulum Rhenanum; regiones numerabitis, quæ quondam fuerunt Paradisi æmulæ, quid Nunc! Qui quondam nectar & Ambrosiam fastidierunt, ad humanas carnes, ad nefarias epulas abierunt. Audient hoc futura secula cum stupore. Posteri omnes prodigia hæc narrabunt, omnes execrabuntur nisi qui non credent. O fames, fames inquam quanta es peccandi magistra, quantum corporis animiq; tormentum! Heu tristis recordatio! Adhuc videor mihi intueri homines cadaveribus similes; adhuc videre puto cavum macie caput, conditos penitus oculos, laxam cutem, nudos labris trementibus dentes, destitutas genas, tergum ossibus inæquale. Cogor hîc nonnihil subsistere, Auditores. Vos ipsi tantum animo concipite, quantum voce non eloquor. Quicquid cogitaveritis, supra miseriam illam non erit. Frustra in sinu parentum plorârunt infantes, & nondum editi conceptus famem senserunt in utero. In amænissimis agris nulla fuit culturæ cura. Cura autem? imò ne mentio quidem. Hortos solitudini relictos occuparânt infelices aves, quibus non aliunde pabulum fuit, quam ex immani corporum strage. Mors ipsa fastidioso oculo suos aspexit triumphos. Quibus aut ferrum pepercit, aut pestis, ii domesticis laribus pulsi latente gemitu deplora-

orarunt sortem suam, & malis suis præ honesto pudore
on audentes palam illachry mari, tandem sævo sed muto
lore sub paupertatis onere mortui. Qui domi manse-
nt, iis nullæ unquam clausæ fuerunt januæ. Nam furi-
s nil relictum. Mendicus quem rogaret non habuit.
uid expectatis ? Spe omni consumptâ, subjit furor &
natio mentis & tota sui arbitrii facta est fames. Ra-
cadaveribus incumbentes tota corpora morsibus ab-
psferunt. Morsibus dico absumpserunt, idque clau-
oculis, quasi oculos suos noluerint esse conscios tan-
alamitatis. Sed quantum carnis cadaveribus illis fa-
tam diu tolerata reliquit ? Detractâ cute nil fere in-
um præter ossa. Ægri timuerunt, & à conjunctis-
amicis nil precati sunt, præter sepulturam. Sed be-
ium creditum fuit, expectare donec amicus morere-
Nemo adeò affinis, nemo adeò conjunctus fuit, cui
lica pietas pepercit. In Wedderavia cæterisque locis
no vicinis quot mortui sint, quæritis ? Numerus equi-
mihi non constat. Sed ex hoc intelligi potest, quod
nti populo suffecerit. Ignosce ò bone Jesu ! Ignoscite
ò homines sceleri quidem ultimo, sed quod patran-
errimum est. Omnes miseriæ, quascunque fama vete-
ulgavit, hîc solatia petant. Hîc intuemini mortales,
s credibiles, scelera innocentia. O natura, sive mihi
fueris, sive noverca, cur me non ante tempora hæc
xisti ? aut verba suggeris describendæ huic miseriæ,

Quorsum ego de Wedderavia aliisq; loquor ! Quo-
que nostrûm fuit, Auditores, qui salutem suam spe-
us est ? Grassante nimirum audaciâ impietatis, quæ
furiis circumfusa, nefando contactu polluit, quic-
ctum fuit, quicquid venerabile ? Ab ipsis men-
dicis

dicis audivimus: Tu qui es, ego eram. Hodie mihi cras tibi.

Domine Deus noster, toti contremiscimus quoties scelerum nostrorum memoria, pectora nostra tangit. Siquidem & nos meriti eramus exempla novissima. Ast tu obviam nobis ivisti bonitate tuâ antequam id satis petere ausi sumus. Quò magis dona tua obversantur oculis nostris, eò magis redigimur ad religiosum aliquod silentium. Non quòd obliviscamur immensæ benignitatis tuæ, sed quod pondere ejus opprimamur, & felicitatis nostræ novitate quasi obstupescant sensus nostri. Procumbimus hîc tuam ante faciem sanctissimam, & bonitati tuæ gratias agimus quas possumus. Non ut quantâcunque devotione nostrâ imitemur beneficentiæ tuæ divitias, sed ut eas elevatâ tantùm manu monstremus. Omnia equidem quæ eloquimur, subsident infra majestatem bonitatis tuæ, sed & omnia minora sunt iis, quæ in animis nostris cõcepimus. Fatemur tenuitatem nostram, & à te solo petimus, ut eam foecundes propitiâ & potentissimâ manu tuâ. Cupimus non esse ingrati, id tamen quod vitamus, maximè sumus. Tu igitur ò sanctissimum numen, præsta nos e s, qui non sumus, ut coram Te censeamur ii, qui esse debemus. Ut omnia agamus pari voluntate & facultate.

Vos vicini & consanguinei populi, assurgite nobiscum in venerationem Dei miseratoris nostri. Quicquid cœli complexu fovetur, quicquid terrarum ambitu continetur ab ortu solis usque ad occiduum diem, & dum nocturna sydera excubant ad albescentem auroram enumeret nobiscum laudes optimi maximi Dei. Quotquot adhuc sub onere calamitatum gemitis, inspicite nos & exemplum capite ineffabilis misericordiæ divinæ. Videbamur populi exitio & ultimæ desperationi relicti, cum nos undiq;

dique circumfluit ros divinæ misericordiæ, & in sinum nostrum effunduntur bona ea, quorum non modò votum & spem, sed sensum quoq; & intellectum amisisse videbamur. Excita animos nostros, ô DEUS, ut æstiment, aperi oculos nostros ut videant, forma linguam nostram, ut dignè eloquatur mensuram benignitatis tuæ, quâ nos cumulas.

Si homo esses, impudentis audaciæ esset, pluta abs Te petere. At DEUS es, & quò plùs petimus, eò plus dare paratus. Proinde supplices te oratum venimus, ut beneficia beneficiis addas, & diu nobis conserves Principem & patriæ nostræ patrem optimum, quem totum formasti ad nutum voluntatemque tuam, cujús cordi insculpsisti quicquid est HEROICARUM virtutum.

Patere hîc Principum Celsissime, ut post DEUM, tuæ quoque Celsitudini gratias agamus grandes & solidas. Ambigimus, an Te inclyta Hassiæ Landgraviorum familia (cujus gloriam tot secula auxerunt) commendet, an Tu illam. Si daretur affectus sine affectu, si invidia esset sine peccato, & in vitam hâc redire liceret mortuis, invidendi materiam præbere posses, Heroibus his, quos in imaginibus illis veneramur. Quoties vultum tuum intueor *Philippe* Magnanime Hessorum Macedo, versatur mihi ob oculos effigies Herculis, quem tanquam absolutum virtutum exemplar proposuerunt poëtæ. Cui nutrices adjunctas esse ajunt Diras cum invidia, quæ in caput ejus conjurârent, ut multijugis infortuniis exercitatus, tandem indurescerent. At his quàm diu vixit lacessitus & tandem immortalitatis campos ascendisse dicitur. Tu quoq; Magnanime Heroum, variis casibus, variis negotiis, quâ togatis quâ sagatis corpus animumque exercuisti, & in aliena tellure hospes, novercantem fortunā provocasti & vicisti. Princeps *Wilhelmus*, Atlas Hessorum, quâ virtute quâ eruditione utramq; rempubl. impleverit, quis

DD. Landgravii Hassiæ Academiæ conservatores in Auditorio Majori depicti sunt.

B est

est qui nesciat? In LUDOVICO Seniori omnia fuisse, quæ in bono œconomo, in bono pacis artifice desiderari possunt, encomiastico ore inter ambitiosam philosophandi libidinem recensent Senes nostri. Nullus ab aliquot seculis principum virorum, MAURITIO felicius & perfectius, cũ tam excelsâ sorte copulavit gloriam eruditionis. Priusquã Apollo cum Musis & Gratiis omnibus ab hominum consortio segregare se constituisset, concredidit huic Landgravio MAURITIO, tanquam nobile depositum, quicquid scientiarum apud se fuerat reconditum. LUDOVICUM Juniorem Deoq; Cæsariq; fidelem fuisse, cœlum fatetur atque terra. Paucis his verbis multa complector & magna. Ut vero Principum horum virtutes omnes, quodam quasi hæreditaris beneficio, animum tuum occupârunt, ita quoque omnium elogia mereris, optimè Princeps GEORGI. Id nervis omnibus agere videris, ut Germania aut pacem habeat aut pactum. Nuper cum tot respubl. tot totius orbis aut armis aut fœderibus cinctæ insurgerent, stetit animus tuus imperterritus, & solâ patientiâ vicit, quod alius calore perdidisset. Maximus septentrionis terror, universam percurrebat Germaniam, tot Thronis tot Sceptris fatales definiens periodos. Cui tu solus opponebas prudens atq; magnanimũ pectus. Quoties minis infestabare, dulce tibi erat, pro Cæsare & patria mori. Quoties promissionum magnitudine fides tua pulsabatur, Te mercatorem esse negabas. Si integritatem tuam vẽdere voluisses, ecquid votis tuis nimium fuisset, quid impervium? Risu irato confundebatur Germaniæ peragrator, perpendens se cæteram Germaniã operâ Germanorum subegisse. Te solùm nec ingenio cedere, nec pretio nec precibus. A Te discant Principes, quid sit DEI Cæsarisque amicitiâ frui. Tot nunc regiones potentiæ tuæ accedere, quamvis est eximium, magis tamen miramur,

ramur, quod Temetipsum, tantamq; fortunæ mutationem vincere, & eâ liberalitate reddere possis, quâ donantur. Tu per cœli clementiam fecisti, ut autoritas Magistratui, subditis obsequium, omnibus fiducia redierit. Ecce Principum optime, hærent nunc omnium animi paratos affectus impensuri, quò quò jusseris. Ipsi illi prudentiâ tuâ domiti, collectas è malis suis lacrymas, in lætitiam convertunt, & se à tam clementissimo victore victos esse gaudent. Tibi obsequi gloriosius putant, quàm aliis imperare. Vidimus Te tanto gaudio refectum ad DEUM vocis oculisq; rediisse, cum ad amicitiam tuam reduces, non osculis non alloquio potuerunt expleri. Illi quos quondam aut sapientiæ suæ superba opinio, aut brutis animalibus pejor negligentia occoecaverat, hactenus parco trepidoque ore pia vota pro salute tua effuderunt. Viderunt etenim omnem syderum ordinem totiusq; naturæ ingenium consiliis tuis velificare. Et quia morum consortio placere Tibi cupiunt omnes, multi ad sanam utilemq; virtutem adiguntur, non ingenio suo, sed potius exemplo Tuo. Omnes assuescunt parere tibi, priusquam aliquid velle ausint vel nolle. Nullum Tu cunctationi locum das, in consiliis illis, quæ laudari nō possunt, nisi peracta. In gravissimis rebus nec magnitudinem oneris nec difficultatem remedii causaris, sed pari constantia, pari alacritate peragis omnia. Te sospite, bonis non deerit innocentiæ vindex Nihil tu agis, quo te volente, cujusquam salus lædatur. Subditorum tuorum nullus est, cui pectus tuum non prius innotuerit beneficiis, quàm imperiis. Sicut indefessa vertigo cœlum rotat, sicut stare sol nescit, sicut maria æstibus inquieta sunt, ita tu Magne Principum, continuatis negotiis & quodam veluti orbe in se redeuntib. semper exerceris. Tibi in sensu maximæ voluptatis est, æmulos principes cōciliare, tumentesq; populos non armis, sed ra-

tione compeſcere. Velociſſimi ſyderis inſtar, omnia viſitas, omnia audis, & ubiq; ades veluti invocatum aliquod terreſtre Numen. Satis magna laudis materia eſt, potuiſſe te parem eſſe tot potentiſſimis hoſtibus. Aſt viciſſes ea tantùm, quæ & naturam & conditionem, ut vinci poſſint, habent. Vincere autem Te iram & adverſarios jacentes non modo tollere, ſed etiam amplificare priſtinam eorum dignitatem, hoc ego aliquid ſupra humanas vires eſſe judico.

Inter omnes fortunæ noſtræ flexus atque reflexus nil magis precati ſumus, quàm ut reciproco & æterno amoris nexu quaſi maritetur utraque Haſſia. Nam quo ore Deum vocabit patrem, qui ferrum ſuum fraterno ſanguine imbui permittit? Aut opes ſuas mavult ſibi perire, quàm alii prodeſſe? O miſerrimam belli ſortem, ubi qui vincitur, perit, qui vincit parricida eſt! Iniquiſſima pax præferenda eſt bello æquiſſimo. Prius examina ſingula, quæ bellum aut comitantur aut ſequuntur, & quantum lucri feceris, intelliges. Si quælibet offenſa bellum parit, cui tandem non eſt quód cõqueratur? Glorioſius eſt CHRISTIANO Principi, aliquo ditionis diſpendio pacem & tranquillitatem publicam redimere, quam ſpecioſos referre triumphos, tanto hominum ſanguine purpuratos. Errat, qui levem jacturam credit ſanguinẽ ruſtici alicujus. Pro tali ſervãdo Chriſtus Dei Filius ſanguinem ſuum effudit. Cum venietur ante tribunal Jeſu Chriſti, non minus exactam rationem exiget ſeverus ille judex pro pauperculis quàm pro Satrapis & Magnatibus. Proinde quotidianis precibus cœlum fatigavimus, ut redeat in pectora eorum amoris ignis, qui neſcio qua fatorum inclementia in frigus olim deſiverat.

Factum hoc eſſe, Tibi Celſiſſime Princeps ob virtutem gratulamur, nobis ob ſalutem. Gloriæ & victoriæ famam aliunde petere potes Celſiſſime Heroum. Ex hac ipſa re pie-

tatis

tatis & moderationis præmia te manere sufficit ad æternitatem laudis. Sicut maris cœliq; temperiem turbines cõmendant, ita ad augendam virtutum tuarum gratiam, tumultus hoc præcessisse credimus. Si veterum principum aliquis talia præstitisset, illi radiatum caput & sedes inter sydera destinata fuisset. Ast tibi maximus honor est, honore dignum videri. Ut ut gloriam eo impetu fugias quo Te sequitur, id tamen famæ tuæ non denegandum censemus, ut facinora tua non tam cedro & marmori quàm ipsi æternitatis albo cum curâ inscribantur. Ut posteritas videat Principem GEORGIUM & in eo virtutum omnium imaginem. Et tu Illustrissime HEROUM; habeas virtutum tuarum qualecunque præmium, alii exemplum. Da veniam, abundantiæ amoris mei, qui hâc linguâ balbutiente non ut vult non ut debet, sed ut potest veneratur virtutum tuarum abyssum, è qua veluti è fonte tot celebres poëtæ, tot facundi Oratores haurirent & nunquam exhaurirent. Attamen reservabo materiam hanc fusius discutiendam ultimæ senectutis meæ exercitio, ubi vires ingenii mei periclitabuntur quicquid poterunt. O utinam possent, quod meritò deberent! O utinam vel illo tempore cogitationes meæ assequi, aut lingua hæc exequi posset, quæ imitarentur merita tua. Si subditi tui omnes uno ore loqui possent, non dissimili sermone explicarent animos suos. Multi fortassemę vincerent facundiâ, nemo affectu. De eo dubitarent omnes utrum plus amandus sis quàm honorandus. Nulla Te deliciarum consuetudo, nulla corporis blandiens cura, nulla pietatis quasi superfluæ oblivio in hoc gloriæ Tuæ solio invadit. Tu is es, qui non solùm omnem injuriæ imaginem ferre potes, sed & corrumpi nescis assensu eorum qui adulationis præmia quærunt. Si te magnum, si felicissimum, si prudentissimum, si togâ sagoq; clarissimum

vocamus, verè equidem loquimur. Ast titulos hos iis non invidebimus, qui ambitiosam Majestatem amant. Te pium, Te pacificatorem, Te patriæ patrem, Te Scholarum & Ecclesiarum nutritium dicemus, quibus nominibus omnem titulorum segetem longè superabis. Bonitatis tuæ imaginem portabimus non in collo, sed in oculis, in ore in pectore. Quotidiè equidem precamur, ut serò augeas stellarum numerum, si tamen terræ Te invidere cœperit cœlum, id unum inter publica vota supplicabit Hassia, ut Principi GEORGIO similis reddatur. Quo uno, credet se vincere omnia quæcunque subditorum vota etiam avara optare possunt. O utinam oculos tuos intromittere posses in pectora nostra & rimari fibras religiosè Celsitudinem tuam colentes! Videres in affectu nostro erectas tibi statuas, quas nulla unquam ætas, nulla unquam delibabit oblivio. Nemo adeò alienus est à pietate, in cujus gremio non possis tutò dormire. Quoties patriam nostram transis, toties gestiunt subditi tui, currui Tuo aptare non equos sed vel filias vel filios & qui his chariores. Dum hoc ipso die officio certant omnes, dum à salutatione plausuq; cessat nemo, dum Te veluti publicæ securitatis parentem cernere cupiunt omnes, nulla viarum libertas satis explicat à rure & urbe proruentes. Matronæ virginesq; fenestras implent, mixtæ pueris, quibus ad tanti spectaculi magnificentiam animos lætitiâ pulsant. Audis ut unanimi voce clament omnes: Princeps GEORGI, Patriæ Pater Ecclesiæ nutritie, Scholarum amplificator, mora fatorum, Atlas libertatis Germanicæ, DEUS TE nobis servet. Princeps GEORGI, in prosperis modestissime, in adversis patientissime, in dubiis prudentissime, in præteritis eruditissime, in præsentibus circumspectissime, in futuris providentissime, in omnibus omnium votis respondens, DEUS Te nobis servet.

vet. Princeps GEORGI, orbis retro acti prodigium, præsentis miraculum, futuri exemplum. Deus Te nobis servet. Exaudiat Te optimus DEUS in die tribulationis. Protegat te nomen Domini DEI Jacob. Mittat tibi auxilium de sanctuario & de Sion tueatur Te. Retribuat tibi secundum cor Tuum. Induat Te DEUS, DEUS ille exercituum, spiritu suo sapientiæ ex alto. Suggerat moderata consilia. Largiatur felicissimos eorundem successus ad SS. nominis sui gloriam, ad Ecclesiæ & gloriæ Hassiacæ incrementum perpetuum. Vive ô Heros Celsissime. DEUS vel de nostris annis Tuos adaugeat annos. Satis nos viximus, si pro DEI honore, pro Tua incolumitate vitam hanc effudimus. Pedibus tuis substernimus non opes modò nostras sed & manus sed vultus sed pectora nostra. Vive patriæ pater pie felix Auguste. & omnis populus dicat, vive princeps optime.

Dum ita publicè & privatim lætamur, tristitia vestra augeri videtur populi consanguinei. Et sanè lugere vos fortissimum Principem vestrum huic lætitiæ spectaculo à prælmatura morte subductum esse nemo mirabitur, qui virtutem æstimare didicit. Quæ gaudia implerent nunc principum pectora capacissima? Quæ amoris vis occuparet antiquam sedem suam? sed si quid mihi creditis, fortissimus Princeps vester quasi Legati munere fungi, & disposita animi sui sententiâ Dn. Patri Dominoq; avo suo significare voluit instare nunc Hassiæ illam concordiæ sanctitatem, quam PHILIPPUS Magnanimus moriens reliquerit, se nullum neq; dictum neque factum scire ex quo in media inimicitia non potuerit arguere, Dn. Landgravii GEORGII animum in salutem utriusq; Hassiæ pronum. Posteris suis precari se tales amicos, aut non acerbiores hostes. Numquid creditis animas defunctorum illorum Principum, inter uberrima gaudia seculo nostro gratulari de redeunte felicitate? Æ-

quum

quum igitur est, ut & vos ita tristes sitis ut simul memores maneatis recuperatæ salutis vestræ. Venite, mortalium charissimi, sociemus animos, misceamus bona nostra & mala. Faciamus ut sciant peregrinæ gentes, nobis rediisse pacem & foedera, hostibus Hassiaci nominis terrorem, tumultus, exitium. Dies hæc tot votis tot precibus tot miserorum lachrymis exorata redeat nunquam. Amor quo hodie coimus duret dum Capitoli immobile Saxum accolet Imperiumq; pater Romanus habebit.

Dum hæc loquor, dum plura quæ loquar occurrunt gratulor mihi vaticinia mea felici eventu nobilitari. Quippe anno superiori, cum luctum suum ob obitum D. FERDINANDI II. gloriosissimæ memoriæ, conceptum, ore meo Academia hæc explicaret, ex hac ipsa Cathedrâ, rudimenta nobilioris fortunæ nobis prædixi. Quemadmodum Davidis Imperium fuit Martiale, filii Salomonis Minervale. Quemadmodum Divi Caroli V. Imperium armis victoriis & triumphis splenduit, D. FERDINANDUS Primus autem consiliis pacis inclytus fuit. Ita dicebam D. FERDINANDUM II. laurum condecorâsse, at Imperatorem FERDINANDUM III. oliva se cômendaturum æternitati. O imple hæc nostra sive vota sive vaticinia, Ter Optime Deus. Fac ut cum gloriosissimo Imperatore nostro pax regnet, cum pace salus, cum salute fides. Fac ut proceres urbis Christiani, robustam virium suarum majestatem, innumerabiles illas copias, ingenia illa bellicosissima opponant Turcæ, jurato nominis Tui hosti! Quousq; in perniciem nostram vigilabis, ut floreat illa infidelium ferox turba? Nihil ferè Germanis cæteris superest, nisi ut in exilium eant. At ubi exulandum? A Christianis Christiani, non suscipiuntur. Ergone ad barbaros fugient? ad Christiani nominis hostes? Surge DEUS vindex tuus & noster. Furorem tuum effunde in eos qui alieni sunt a vero cultu majestatis Tuæ. Da autem ô optime DEUS, ut semper in celebrandis beneficiis tuis certent linguæ nostræ cum pectoribus, nec hæc ab illis se vinci patiantur.

DIXI.